



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

VII. Qvod Sanctvs Erminoldus factus est primus Abbas Prüfinge.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

gens quæ videre meruerat, nihil eorum obmisit spiritua-  
liter, in fundatione, consummatione ac consecratione  
complevere cœnobij, quæ prior ille Iacob in visionis suæ  
loco peregit, domum hic Dei veraciter & portam cœli  
quam plurimis construendo.

QVOD SANCTVS ERMI-  
noldus factus est primus Abbas  
Prüfinge.

## VII.



ONASTERIO igitur hic fundato & consumma-  
to secundum Dei quam intellexerat voluntatē,  
virum vir sanctus idoneum æstuanti animo re-  
quirebat, qui Christi familiæ colligendæ, in do-  
mo quam sibi construxit in tempore suo posset tritici dare  
mensuram, quiq; ut rei euentus, visioni congrueret, per  
scalam religionis hic ascensuros, quiddecim graduum ver-  
bo & exemplo posset docere mysteria, quique præuio a-  
scensiones in corde suo disponente discernent pederēt  
in valle lachrymarum loco quem posuit ipse fundator, do-  
nec dante benedictione summo legislatore, euntes de  
virtute ad virtutem, Deum Deorum in Syon videre per-  
petuo mererentur. Cum igitur quæretetur inter dispensa-  
tores, ut fidelis quis inueniretur, non est inuentus similis  
illi, de quo nunc agitur, Beato videlicet ERMINOLDO, quē  
dominus lucernam Christo suo parauerat, ut ardens & lu-  
cens huius cœnobij ruditatem nouiciam & ob hoc cæcu-  
sientem adhuc intellectu & affectu torpentem, & sancti-  
tate conuersationis accenderet & exempli, & eruditionis  
atque doctrinæ splendoribus illustraret. Huius itaque fa-  
mam beatus OTTO comperiens, missis ad eum Abbatem  
suum

Luc. 12.

Gen. 28.

Psalm. 83.



suam epistolis ab utrolibet impetrauit, ut recēs incultum-  
que nouale colendum assumeret, & iam præexercitus a-  
gricola, manum ad aratrum mitteret sulcatricem PRVFIN-  
GENSIS cœnobij terram patrio visitaret aduentu & ine-  
briaret sacræ institutionis irriguo, locupletaretq; multi-  
plici germine meritorum.

QVAM SANCTE  
vixerit in Ab-  
batia.



ISSVS igitur de HIRSAVIA primus Abbas, VIII.  
ad nutum domini nostrum distantis hono-  
rem, Ecclesiæ nostræ præficitur, benedixitq;  
nobis dominus ad introitum eius, in cuius v-

tique nomine benedictus aduenit, non sine discipulorum  
atq; confratrum honorabili comitatu. Denique in su-  
scepti regiminis culmen ascendens, speculatorem se do-  
mini Israel meminit constitutum, ita pro animabus com-  
missorum sibi peruigilans, tãquam redditurus pro eis do-  
mum rationem, & iuxta dictum beati Iob, vere gallus ha-  
bens intelligentiam subditos excitaturus ad bona, semet-  
ipsum ala exercitij spiritualis primit<sup>o</sup> excitauit: cauens uti-  
que reprobis inueniri vel somnolentus, dum vigilandum  
alijs prædicaret. Sane familiarissimum semper habebat in-  
stare vigilijs, orationibus, & ieiunijs insudare, verbum  
domini prædicare, frequentius regnum Dei & iusticiam  
eius inquirere anhelanter, fugere gloriam temporale, que-  
rere sempiternam. Proinde fidè dignissimi Seniores qui  
vitam ipsius agnouerant, constantissime testabantur  
nullam sibi septiformis spiritus gratiam defuisse, quod à  
con-

Genes. 30.

Ezech. 3.

Iob 38.